



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 24. Niphon pellitur: Glycys Patriarcha Constantinop.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Secul. XIV. dicavit, excusans, quod posteriori peta-
A.C. 1316. sum non mitteret. Nam Cardinalibus,
 inquiebat, qui absentes sunt renunciati,
 non eum mittere solebant Antecessores
 nostri, nisi ex causis peculiaribus, qua-
 rum exempla sunt rara, nec imitanda
 facile.

§. XXIV.

*Niphon pellitur : Glycys Patriarcha
 Constantinopolis.*

*Niceph.
 Greg. l.7.
 c. II.
 Sup. §. 3.*

*Cang. Gloss.
 Gr. p. 822.*

Anno 1315 Constantinopoli Niphon de se-
 de sua detractus est ob avaritiam, per
 quam plura commiserat sacrilegia, & ad
 colligendas sibi divitias modos iniquos, ac
 dignitati suæ parum consentaneos adhi-
 buerat. Itaque in monasterium Peri-
 bleptanum secessit. Anno proximo sci-
 licet Anno 1316 in patriarchale solium
 elatus est Joannes Glycys tum Logo-
 theta Dromi, seu fere idem ac publici cur-
 sus Inspector. Habebat uxorem ac li-
 beros; sed erat ex doctissimis, & miri-
 fice addictus nobili veterum Athenien-
 sium stylo, quem sibi tanquam excel-
 lens exemplar proponebat. Nemo ad
 similitudinem ejus accedebat soliditate
 judicii, æqui rectique studio, & gravita-
 te morum: quare is honor velut præ-
 mium præstanti viro congruere credeba-
 tur.

tur. Mox vestem monasticam & uxoris Sæcul. XIV.
ejus induit, & ipse respectu sui muneris A. C. 1317.
assumere volebat. At Imperator inde
cohibuit certis temporibus acerbo arti-
culorum dolori obnoxium, ideoque se-
cundum medicos egentem usu carnium
apud Græcos a vita monastica pror-
fus alieno.

§. XXV.

Papa dat monita tribus Regibus.

Rex Philippus Longus sacram inunctio-
nem solenniter accepit Remis die do-
minica post festum trium sanctorum Re-
gum nona Januarii anno 1317. Vigin-
ti tres duntaxat annos habenti Papa
Joannes scripsit epistolam paternis ple-
nam consiliis; in qua dicit: Officio di- Bal. I. 1.
vino, præsertim sacrificio cum ades jam p. 153.
huic, jam illi loqueris, ut comperimus, Cont. Nang.
ac rebus vacas te avertentibus a de- p. 669.
bita attentione animi ad preces, quæ
pro te ac populo funduntur. Deberes
etiam, ex quo inauguratus es, mores ex-
hibere graviores, majorumque tuorum
instar regium gestare pallium. In regno
tuo die dominica jus dici, barba &
capillus tonderi, siveque dies illa profa-
nari fertur, quod pati non debes, gna-
rus observationem sabbati esse de præ-

G 3

ceptis